

§. 6. Ubi porro formalis, ac proprie dicta Repulsio institueretur; nisi ejusdem ratio sufficiens in Judicio deinde reddatur; onus illius, ad mentem Tituli 73. Partis Secundae Tripartitalis, in Florenis Septuaginta duobus, in duabus Judici, in tertia vero partibus Parti, contra quam Repulsio fieret, cedentibus; deponi semper debet.

§. 7. In quantum porro nunc citatus Titulus 73. Repulsionem, etiam post definitivam Sententiam fieri posse innueret; eatenus pro tali duntaxat Casu, si non in ultimo; sed prioribus Causae Terminis, Sententiam definitivam intervenire contingat (in iisdem enim etiam post Appellatam, Repulsioni locus esset) intellegendum veniet.

§. 8. De caetero, quoad modum Repulsionis, Tituli 74. et 75. praecitatae partis Secundae: nec non quoad, Bona, contra Repulsionem occupantes; Articulus 19. Uladislai Decreti quarti, observabuntur.

De Oppositione adversus Judiciarias Sententias; et Bonorum Judicialiter executorum Reoccupatione.

Articulus 34.

Cum Repulsionis remedium, nulli Causae Pedaneorum Judicum, sed in Curia Regia, nonnisi Causis longae Litis, idque ante ultimum earundem Terminum competit; Oppositio autem, directe Judiciario cursui aduersetur: Ac proinde ad tollendas confusiones, in Processibus Brachialibus, (ubi potissimum cum assumptione Gentium instituendi venirent) emergibiles; statuitur:

§. 1. Ut, si quis extra Casus, praedicto modo ipsam etiam Oppositionem, aut Repulsionem formalem admittentes, Judiciariam Executionem non admittat; eandemque turbet; aut Bona executa reoccupare attentet; praemissa ipsius, absque ullo etiam Mandato, penes solum Partis laesae actionalem Libellum, in praesentiam illius Judicis, qui in Causa processit, Citatione; compertaque sufficienter illuscemodi Executionis Judiciaiae non admissionis, vel turbationis, aut Bonorum executorum reoccupationis (ut praemissum est) extra Casus superius declaratos factae, veritate; in poenis et oneribus Articuli 31. An. 1681. illico convincatur;

§. 2. Ac pro exequendorum Executione, ac assignandorum Parti Triumphantis assignatione; in Causis quidem, coram Tabula Regia Judicia, vel respectu Regnorum Croatiae, Dalmatiae ac Sclavoniae Banali motis, ex illa quidem unus ex Magistris Protonotariis, ex hac autem, aut pariter Magister Proto-Notarius, aut unus ex Assessoribus; in Causis porro Tabularum Districtualium, nec non in praedictis Regnis, Tabulae eorundem Judiciae, unus ex Assessoribus; in Causis demum Comitatensibus, facta praevie illarum in Sedibus Judiciariis relatione, is, cui de more competit; exmittantur;

§. 3. Quos, si non admittat; vel in peragenda Executione turbet; aut medio, ipsorum executa Bona reoccupet; in Curiam Regiam superinde citatus; ibidem veritate praemissorum, seu ex ipsa evidenti facti, adeoque notorietate Possessionis, seu Recognitione Judicis exequentis, seu alias etiam sufficienter comperta; in poena Majoris potentiae, amissione nimirum Capitis, vel Bonorum, mobilium aeque ac immobilium, ad Portionem Rei pertinentium; horum quidem